

1+2 / 84

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 45

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in aedi-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	ÖS 130.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	ÖS 130.--

übriges Europa	Fr. 20.--
----------------	-----------

Uebersee	US\$ 18.--
----------	------------

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Anteponam, quod mihi maximi momenti est: Voto, ut vobis
novus annus felix, faustus, propitius sit! Eveniant vobis
omnia felicia, dum annus manet.

Initium novi anni - heus! - mihi carisque meis triste eve-
nit. Nam die a.d. VIII Idus Ianuarias felis noster maxime
amatus, cui nomen "Pfuri" erat, mortem obiit duos annos
natus. Iam plures dies illo morbo atroci affectus erat, quem
veterinarii "Vib" appellant. Quae tres litterae stant pro
verbis teodiscis "virulente Brustfellentzündung". Qui
morbus animali infecto immedicabilis est. Eheu, brevi
tempore ergo mortuus est. Mortem eius ego unā cum uxore
liberisque maximo luctu deploramus. Pfuri enim erat felis
fidelitate in homines praebitā cani comparandus: Liberis in
scholam euntibus cottidie comes amabilis erat. Quos scholā
domum revertentes semper exspectabat apud fenestram sedens.
Vesperis familiae cubiculo insidenti et otio dulci fruenti
adesse solebat solo prostratus. Nam hominibus assuefactus,
solitudine insuetus maxime amabat apud liberos cubare felem
dormientem simulans, re vera oculis semiapertis auriculis-
que semper intentis omnia hauriens, quae circum dicebantur
vel faciebantur; iis fruebatur tamquam igni, quem in camino
cubiculi diebus hibernis incendere solebamus.

Nunc locus eius vacuus est. Quo facto cuncta familia dolet.
Tamen nobis manent haec duo solacia: Primum, quod Pfuri
mortuus non iam doloribus morbo coniunctis patitur.
Secundum, quod alterum felem iuvenem habebimus, ubi tempus
advenerit, quo tempore periculum, ne nova feles simili
morbo inficiatur habitaculo adhuc inhaerens evanuerit.

Spero vos, cari legentes, initio novi anni feliciores
vixisse! Ego autem - cum initium anni mihi infelix fuerit

- censeo nos habere iustas rationes felicem annum MCMLXXXIV providendi. Quas rationes in rata parte invenietis, quam huic fasciculo sub titulo "Tempora infesta" inscripsi. Curate, ut semper valeatis!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



Tempora infesta

Cari legentes,

verba, quae nuper in nuntio periodico scripta inveni, semper vera sunt, quamvis mundus noster et hoc anno novo multis adhuc bellis in variis terris gestis laboret. Auctor vel editor illius nuntii vota sua praeclara initium anni comitantia ad legentes verbis teodiscis expressit. Quae ego Latine reddere conor:

Quicumque nuntios diurnos scriptos legerit audiveritque emissiones radiophonicas vel televisorias, iamdudum novit nos homines in mundo maxime infesto vivere. Nam ex nonnullis orationibus, ex libris, ex pelliculis cinematographicis res maxime infestae ad nostras aures vel ad nostros oculos perveniunt. Nuntii enim, qui his mediis divulgati audiuntur, animos hominum ad imminensem interitum mundi vertunt. Quibus aliquis sensus tristis intereundi mentes hominum ubique terrarum habitantium inficit. Hic sensus testes citat (1) totum globum, terras eius continentes, certas gentes, floram, faunam, aërem terrae proximum. Qui

interitum mundi instantem praedicunt, praecipue audiuntur; qui autem negant confirmantque vitam nostram tamen esse pulchram, saepe quasi homines in aeternum hesterni (2) esse censentur.

Ego, ne mendax sim, confiteor: Ego sum unus ex turba insaniabilium, qui bonis moribus (3) hominum confidit. Puto porro mundum nostrum - cum sit interdum infestus - et futuris temporibus illo malo intereundi vacare. Cur ita? Experientia me docuit duo: Primum: Verum est illud proverbium: Cibi ferventes non eduntur! Secundum: Sensus mundi intereundi tam vetus est quam humanitas ipsa. Qui semper spatiis aequalibus et oriri et evanescere solet, solebat, solebit. Ergo sane licet nos orationes de interitu mundi cum aliquo dubio audire velut ea, quae in hac re feruntur, sententiam hominum nimis timidorum ducere.

Iam priorum aetatum homines tali timore completi vitam suam feliciter peragebant illud proverbium clarum "Pessima providenda, optima speranda" observantes. Nostris diebus autem homines - heus! - modo primam partem huius proverbii observare, secundam partem non minus veram nescio quo modo animo excludere videntur. An putandum est eos, qui nuntios proferunt, hanc partem mente tacita in praeceptis oblivionis detulisse? Profecto enim commentarii diurni, emissiones radiophonicae vel televisoriae, orationes publice habitae ad aspectum, quem mundus praebet, magis assidue pingunt prioribus temporibus. Videlicet nostri praecones moderni, quos "media" appellamus, secundum illud Americanum "Bonus nuntius non est nuntius" (lingua Americanorum: "Good news are no news") nuntiare solent. Ex quo concludatur bonos nuntios non esse dignos, ut nuntientur. Ergo iis, qui ita censent, res adversare ut e.g. crimina, bella velut cetera maleficia maioris momenti sunt quam res bonae.

Ne amplius loquar: Bona semper parvi momenti esse censetur, mala maleficaque contra semper verbis augentur. Ita fit, ut ad aspectum mundi a mediis non verus, sed in maximum elatur vero dissimilis. Ne mea verba falso interpretemini! Etego non nescio mundum nostrum multis malis laborare. Tamen rogo, ut ea, quae hominibus globoque saluti sint, saepius solito nuntiis indicentur neve mundus illo perspicio (4) perspiciatur, quod nullas res nisi calamitosas evidere sinit.

Ea mente, quae cum hominis tristis, tum optima sperantis sit, impletus opto, ut novus annus omnibus sociis felix, faustus fortunatusque fiat et mundo denique pacem necessariam, exoptatam apportet in omne tempus futurum.

Haec verba teodisce scripsit Doctor Guarnerius Müller, societatis Helveticae sectionis Turicensis "Touring Club" nominatae praeses, in fasciculo 1/84 periodici, qui nomen "TCS Revue" est. Sint nobis solacio! Valete!

Udalricus Aeschlimann

- | | |
|----------------------------------|--------------------|
| (1) testem citare | zum Zeugen anrufen |
| (2) homines in aeternum hesterni | ewiggestrige Leute |
| (3) mores, Pl.f. | Charakter |
| (4) perspicillum, -i,n | Brille |



De colloquio altero nuper habito

Nuper Turici mihi in Via stationis ambulanti casu obviam venit homo quidam, vir senili prope adspectu, quem statim cognovi commilitonem olim fuisse meum, quocum omnes per annos scholae in eodem scamno (Bank) sedissem, quinquaginta fere annis ante. Ille quoque statim mei recordatus est et paene uno tempore exclamavimus: "Quem casum necopinatum! Salve! - Tu quoque salve! Qui casus celebrandus est. Otiumne habes?" - "Habeo." - "Eamus ad cauponam "Strohhof" lagoenam vini potaturi!" - "Eamus!" - "Eamus!"

Colloquium, quod ibi habuimus, hic infra Latine vertam, quantum eius meminero:

- Mehercle! Te iterum tot annis post videre, quam iucundam rem! Quid agis? Adspectum habes adhuc velut iuvenis;

idem appares atque tui memini. Esne industrius, ut fuisti?

- non iam ita ut ante: sexagesimum quintum annum peregrimus, tu et ego, quippe qui simus aequales.
- verum est. Quonam fugerunt anni? Nonne tibi quoque incredibile videtur dimidium iam saeculi esse elapsum?
- re vera. Somniavisse mihi videor. Nunc autem dic, quam professionem exercueris. Nihil umquam de te audivi.
- professionem meam? Tu autem, si recte recordor, universitatem olim frequentasti, ego mercator factus sum et quadraginta annis caseum vendidi in urbe natali nostra. Tabernae praefui caseo vendendo. Venditor fui, ut rectius dicam. At anno ante commercium et negotium filio reliqui, et ex eo tempore annos senectutis ago utorque adhuc (gratia superis) bona valetudine, ambulando multum nec vinum abnuendo. Tuque, qui non minus appares bonam gaudere, de te narra!
- Narrabo. Tu autem sine dubio magnam pecuniam comparasti, quin etiam dives factus es.
- non dives, at habeo, quod satis est, ita ut non sit, ut pecuniam abs te petam.
- tu adhuc idem es homo multi ioci. Praeterea ego non sum vir pecuniam rogandus. Nam certo novisti regulam primam observandam in pecunia roganda.
- ignoro. Quae est?
- regula est et consilium, ne umquam pecuniam rogemus ibi, ubi nulla est pecunia. Et apud me paene est nulla.
- Nullane?
- non plane nulla, sed non plus quam ad vitam sustentandam satis est. Noli oblivisci me ludi magistrum fuisse!
- Qui (wie) potuerim oblivisci, quod numquam sciebam?
- Nunc scis. Et ludi magistri divites fieri non solent. Non sumus nec medici nec mercatores. Latino et Graeco sermonibus studui et quadraginta annis Latinum et Graecum docebam.
- Nunc certe illis linguis calles, an fallor?
- falleris. Namque callere est vox magna. Nos philologi scimus plus minus intellegere, quae auctores antiqui scripserunt, sed ad colloquendum parum instituti solemus esse.
- attamen docere tibi satisfacit?

- Non querar, quin etiam me puto aliam mihi adaptiorem et potiore professionem exercere potuisse nullam.
- Quod tecum laetor. Sed dic mihi, quaeso, nam saepenumero me interrogabam, cur ita fieret, ut adhuc, temporibus nostris, in gymnasiis linguae antiquae doceantur Romanorum et Graecorum, mortuae scilicet iam pridem, neque potius linguarum nostrae aetatis plures, multo utiliores, sint docendae!
- Quaestionem equidem profers satis vulgarem notamque mihi, sed vicissim te interrogo, quid intellegas sub voce "utilis".
- res utilis meo iudicio est, qua uti possumus. Quod facile est intellectu nec philosophari est opus.
- bene dixisti. Attamen ignor adhuc, quid sit utile.
- utile est pecuniam comparare, divites fieri. Utilia praeterea omnia sunt, quae sunt usui.
- Plane intellego, sed circulum vitiosum profers, quo sententia proficit nihil.
- Tibi autem quid usui et utile esse videtur?
- Omnia dixerim, quae me iuvant. Non tantum, quae ad vitam sustentandam pertinent, verum etiam quae delectent et beatitudinem quandam mihi adferant, quemadmodum, ut de me loquar, studium philosophorum et poetarum Graecorum et Romanorum, recentium nimirum non minus.
- intellego neque tam alienum mihi videtur esse, quod dicis. Sed quomodo interpretaris, quod ego, ut alii multi, illiteratus, sine ulla scientia Latini et Graeci sermonum vitam adhuc peregi non plane infelicem, sed potius sat beatam?
- Quam rem ita interpretor, ut dicam non eadem omnes iuvare nec beatos reddere, sed suam quemque artem habere vivendi plus minus beate.
- Optime te defendis.
- defendere me opus non est.
- attamen nondum intellego, cur in gymnasiis nostris adhuc doceantur linguae antiquae. Etenim habeo compertum multos discipulos duro labore studendi Latino vexari ingenter et idcirco nihil esse minus quam beatos.
- quam rem ita interpretor ut dicam esse multos, qui adversante natura, invitā Minervā, gymnasium frequentant. Illis re vera praestat artificium manuale appetere.

- ignosce tamen, ut dicam esse multos, qui e plebe emergi cupientes professionem academicam anhelent, quem finem assequi non possint nisi examine illo superato, quod abiturium vel maturitatem vocant. Sitne illis opprobrio faciendum, quod gymnasium frequentent?
- Certo non sit. At examen illud superandum est et sine studio sermonis Latini.
- Quid dicis? Medicos et iurisconsultos sine studio Latini studia posse absolvere sua?
- Sine dubio. Multis enim iam annis ante absoluti sunt et liberati studio sermonis Latini.
- id valde miror. Namque lingua scientifica illorum vocibus Latinis abundat vel saltem a Latino sermone derivatis.
- Non ignoro doleoque rem ita se habere, attamen ita est. Imprimis doleo, quod philologis classicis, ut dicuntur, eo minus erit opus, quo sint minus studentium sermonis Latini. Unum solacium mihi quidem est, quod iam assecutus sum aetatem illam, qua queri iam non debeam, quod discipulorum numerus me deficiat. Nunc autem propono, ut bibamus ad celebrandam senectutem nostram adhuc vivam.
- Bibamus! Ad salutem tuam, condiscipule mi, provecte iam aetate ut ego! Nec quicquam queramur, donec simus, ut sumus, valetudine bona!
- Vivat amor! Vivant sequentes!
- Amorem dicis?
- Amorem dico, nam complectitur omnia.

Dr. Emanuel Bernard



MAGNA VICTORIA!

Antiquos Romanos Graecosque multis ludis interfuisse audivimus, sed notum est eos pedifollis ludum ignorasse. Quare valde deflendi erant praecipue gladiatores, quibus, praeterea quod ludus pedifollis non iam inventus erat, vita miserime relinquenda erat.

At nunc audietis et legetis nuntium ludi pedifollis simulati tempore antiquo acti:

"Poculum Europaeum championum hodie in Helvetiam cedit! Asterix Aventicum superat Iuventutem Augustae Taurinorum 3:2 (1:1,2:2) post prolongationem!"

Domino reverendissimo Serape Anube Aegyptio arbitro duae manus Stadium Ptolemaicum Alexandriae ita compositae penetraverunt:

- Asterix Aventicum: Ianitrix; Liberix; Crapulix, Maximix, Comix; Superix, Pilix, Estrix; Ventix, Procellix, Tempestatix.
- Iuventus Augustae Taurinorum: Portatorius; Defensiregius; Potator, Maximus, Comicus; Supremus, Pila, Devoratorius; Ventosus, Procella, Tempestivus.

Spectatores, quorum circiter triginta milia adfuerunt, pro certo habeo nil omisisse, quoniam ludum pulcherrimum et tensionis plenum viderunt. Iam inde a prima minuta utraque manus portam adversariorum obsedit neque ignave se defensionem tradidit (quod rarum est apud Italos!). Undique pila in ianitores iactabatur, sed et Ianitrix et Portatorius facinoribus immortalibus semper damna prohibebant. Tertia autem et decima, infelici ergo Romanis, minuta Potator Procelligem paucis extra aream poenalem cecidit (sive Procellix callide cecidit!) arbiterque chartula flava subito monstrata iactum poenalem dictavit, quem Superix lepidissime super murum in rete direxit.

Neque vero longinquum erat gaudium Helvetiorum, quia quinque minutis post Procella iactum angularem a dextra parte iactatum capite in porta occultavit. Postea Ianitrix bis Romanos solos in se accurrentes correcto modo impedivit, vicesima autem septima minuta superatus est, sed a Supremo seorsum stante, quare dominus Anubis portam abrogavit.

Post pausam dimidii temporis primum Aventiciaci impetum gesserunt vix describendum: intra sex minutis totidem iactus angulares eis iactandi erant, sed quinquagesima prima minuta Ventosus defensores Helveticos celerrimo cursu vitans solus ante Ianitricem apparuit neque portam omisit: 2:1 Taurinis!

Hunc statum Romani usque ad paenultimam minutam retinere potuerunt, cum subito Crapulix defensor e distantia triginta metrorum iactavit et exacte pilam in triangulo sinistro superiore deposuit! Maximus tum erat ululatus spectatorum Aventiciacorum, sed lusor quidam Romanus compensationem lusoriae aegerrime tolerans arbitro linguam monstravit, quare chartula rubra a campo relegandus et in diaetam abducendus erat.

Minuto quidem numero lusorum Taurini tamen bene pugnare perrexerunt, immo iactus undecim metrorum eis tributus est, quem Ianitrix miraculose defendit! Centesima tertia minuta (i.e. tertia et decima minuta prolongationis!) inter aliquot lusores utriusque manus ante portam Portatorii congregatos Estrix pilam trans lineam portatoriam movit, quo reti Helvetici victores excesserunt.

Sibilo finali insonante spectatores aut gaudii aut luctus pleni in campum cucurrerunt palos portarum rupturi! Manus Aventici autem Ianitricem in umeris portato poculum Europaeum comprehendit!

Martinus Meier

pedifollis, -is m.	Fussball
campio, -ionis m.	Meister, Champion
Augusta Taurinorum, -ae f.	Turin
prolongatio, -ionis f.	Verlängerung
ianitor, -oris m.	Torhüter
area poenalis, f.	Strafraum
iactus poenalis m.	Freistoss
iactus angularis m.	Eckball, Corner
seorsum (Adv.)	offside, abseits
abrogare	(hier:) aberkennen
dimidium tempus n.	Halbzeit
compensatio lusoria f.	Ausgleich
diaeta, -ae f.	Kabine
iactus undecim metrorum m.	Elfmeter, Penalty
linea protatoria f.	Torlinie
palus, -i m.	Pfosten

Aenigma

1. maritima
2. pecus domestica (Acc.pl.)
3. aqua afficiam
4. aliquid inane facit
5. clara gente ortus (Dat.sg.)
6. qui luxui nimio incumbunt (Dat.pl.)

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					


Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann



S O L V T I O N E S

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:	secundum praemium:	tertium praemium:
Christina Gorgé Egelgasse 45 3006 Bern	M.E. Wettstein Rüterwiesstr. 24 8125 Zollikerberg	Barbara Reber Bergstr. 50 4500 Solothurn



His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.



Seminaria Latinitatis Vivae

Cari legentes,

simili modo ac anno praeterito anno quoque 1984^o seminaria moderabuntur, quorum participes non currenter tantum Latine loqui discant, sed etiam tempore libero, i.e. in cenando, in natando inque qualibet actione inter se Latine colloquantur. Moderator non modo doctissimus atque linguae Latinae modernae peritissimus, sed etiam vir magna hilaritate, humanitate, affabilitate praeditus erit Pater Dr. Caelestis Eichenseer Saravipontanus (aus Saarbrücken).

Seminaria erunt tria: Selestadii in Alsatia (Schlettstadt im Elsass) seminarium erit inter dies 22. et 28. mensis Quinctilis sive Iulii, Bottropii in Rhenania Vestfalica (Bottrop in Nordrhein Westfalen) inter diem 29. mensis Quinctilis et diem 11. mensis Sextilis sive Augusti, Vestendae autem in Belgio (Westende in Belgien) inter dies 18. et 25. mensis Sextilis.

Quisquis seminario cuidam interesse studuerit, se verat velim ad inscriptiones infra indicatas:

VOX LATINA		Martin Meier
Universität FB 6.3	aut	Nassegasse 14
D-6600 Saarbrücken		CH-3302 Moosseedorf



DE LATINAE LOQUELAE ELOQUIO SEU DE IMMINENTI UNIVERSA FORMIDULOSA LANAE CAPRINAE CONFLAGRATIONE.

Libentissime consocior et summa cum iucunditate et proclivitate cum illis doctissimis nostris sodalibus consentio, qui Latini sermonis pronuntiationis morbo non aegrotant.

Sunt enim nonnulli inter eos qui hoc morbo valde aegrotant, qui ubi Latine loqui non restituta pronuntiatione audiunt irascuntur, equidem quoque quod nec intellegunt nec respondere conantur, quia cerebris suis aegrotis Latinum sermonem Romano pronuntiato habent pro Latino culinario.

Laetor vero quod nonnulli praeclari Latinitatis magistri multa cum libertate proclamant disputationem de restituta pronuntiatione vanam esse inutilem et perniciosam quoque. Consocior et consentio.

Quod ad me pertinet, qui simplex diurnarius sum, profecto dicam non esse culpam meam. Non est enim culpa natum esse in Siculo pagulo, in provincia Syracusana, abhinc fere octoginta tres annos (anno videlicet 1901), non est culpa didicisse Latinum Romanorum sermonem, me puero, primis tribus scholae mediae annis in Gymnasio Syracusano, quod dulcibus sonantibus Theocriteis carminibus etiam resonat, non est culpa in mea adolescentia didicisse Latinum Romanorum sermonem in urbe Roma ipsa tot tantisque inscriptionibus referta, ut etiam etiamque Ciceronis vocem audire videatur; non est culpa licentiam lycealem (sive "bac") maximis votis in litteris classicis consecutum esse; non est culpa in Siculorum Gymnasio, studiorum Catinensi Universitate, a Maecenate Friderico II^o condita tempore illo, quo in Sicilia schola "dulcis stili novi" dicta oriebatur, non est culpa me in litteris classicis antiquis lauream summis votis consecutum esse, professoribus meis gratulantibus, a quibus praeclaris magistris Latine loqui didici.

Nonne fortasse culpa mea est me docuisse discipulos meos Latinum, Romanorum sermonem, assidue Latine loquentem,

sicut illo tempore, tempore videlicet fascistarum duce Mussolini imperante, fecundus nobilis dignus mos vigebat? Tempore enim illo nos, iuvenes Latinitatis doctores, societatem "Veteres Musarum Ludi" inscriptam constituimus, cuius sociis erant ex improviso Latine vertenda praecipua carmina Italica (Carducci, Pascoli, Zanella, et ceterorum) et victori cena gratuita erat praemium.

At illis temporibus nondum orta erat haec novitas, quae pronuntiatio restituta dicitur. Nuperrime vero multis conventibus de Latinitate provehenda inter gentes adfui et cum sodalibus ex omni natione provenientibus Latine loquentes semper mutue intellegimus parvis demissis difficultatibus.

Si quis me Latine loquentem audire horrescit, abeat equidem in pace, vivere possumus omnes sine mutua molestia!

Ideoque mihi utilissimum videtur taenias magnetophonicas Latinas commutare cum sodalibus externarum gentium ac nationum.

Inscriptio cursualis mea est haec:

Antoninus Immè
21, boulevard Recteur Sarrailh
F-64000 Pau (France)

Libentissime commutabimus epistularum Latinarum commercium, libentissime exemplar nostri Latini commentarii "M.A.S." gratuito et sine ullo impendio mittemus, et si quis habere vult taenias magnetophonicas Latinas nostras, pretium taeniae et impensa cursualia saltem solvat.

Antoninus Immè



De philosophis et principibus hominibus Graecorum

Cum Thales, unus ex illis clarissimis philosophis, qui primi de rerum natura quaestiones suscipiebant, astra observaturus domo excessisset, oculos ad caelum attolens in fossam cédidit. Tum ancilla, quae eum comitabatur, "O Thales", ait, "speras te cogniturum esse, quae in caelo sint, cum ne cernere quidem possis, quae ante pedes sint."

* * * * *

Diagoras, ille philosophus, qui negabat deos curare res humanas, cum Samothracen insulam venisset et amicus quidam ei tabulas pictas (1), quas e periculis maris servati ad gratias deis agendas in templo deposuerant, monstravisset et quaesivisset: "Tu, qui deos res humanas neglegere putas, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi homines votis vim tempestatis effugerint et in portum salvi pervernerint?", respondit: "Certe, sed multo plus tabulae pictae essent, si etiam illi, qui naufragia passi in mari perierunt, tales tabulas dedissent."

* * * * *

Cum Dionysius, Syracusarum tyrannus, convivis suis carmina a se ipso composita recitaret, plaudentibus omnibus solus Philoxenus poeta illa non laudavit. A Dionysio interrogatus, num carmina sibi non placuissent, respondit: "Nequaquam." Propter responsum liberum servitio (2) damnatus est in metallis (3) tyranni. Post nonnullos menses veniā datā Philoxenus in regiam aulam revertit. Aliquando Dionysio recitante denuo ex carminibus suis Philoxenus statim surrexit et caput inclinans (4) dixit: "Nunc in metalla redibo."

* * * * *

Dionysio roganti, cur philosophi limina divitum terant, divites autem non limina philosophorum, Aristippus respondit: "Quod philosophi sciunt, quibus egeant, divites nesciunt."

* * * * *

Cum aliquis dixisset: "Eamus in fanum Aesculapi deum precatum", Demonax philosophus "Aesculapium totaliter surdum existimas," inquit, "si putas eum nos precantes hinc quoque audire non posse?"

* * * * *

Diogenes, ille celeberrimus philosophus, qui in dolio habitavisse fertur, aliquando a homine avaro cibum mendicabat. Ille identidem negabat et in proximum diem falsa spe eum produxit (5). Demum Diogenes ridens exclamavit: "Cenam peto, amice, non, ut mei funeris sumptus impendas."

Cum malus citharoedus ab omnibus vituperaretur, solus Diogenes eum defendit et laudavit. Aliis rogantibus, cur ita fecerit, "Quod ille", respondit, "etiamsi male cithara canit, tamen citharoedia victum quaerere mavult quam rapinis et furtis."

Citharoedum, qui semper ab audientibus fugebatur, his vocibus salutavit: "Salve galle." Illo rogante, cur ita diceret, "Quia", ait, "canens omnes excitas."

Diogenes cum vidisset sacerdotes magistratum minorem, qui ab aerario sacro (6) phialam furto subduxerat, abducentes in carcerem, "Magni fures", inquit, "parvum ducunt."

Homini vano, qui Diogeni obviam eunti obstitit et gloriose exclamavit: "Nulli furcifero (7) cedo!" philosophus respondit: "At ego," et a via secessit.

Interrogatus, cur homines mendicos donarent, non philosophos, Diogenes respondit: "Multi putant se claudos vel caecos fieri posse, nullo modo autem philosophos."

* * * * *

Cum Dionysius tyrannus philosophum Aristippum, unum ex Socratis discipulis, ut de philosophia loqueretur, cogere conaretur, philosophus respondit: "Ridiculum est, si a me artem aliquam discere velis, te autem me docere, quo tempore oporteat de ea loqui." Hoc responso indignatus Dionysius Aristippum iussit extremus inter cenantes accumbere. Qui illuc se conferens "Illustrem" ait, "hunc locum facere voluisti."

* * * * *

Athenienses tyrannis fugatis ad civitatem popularem (graece δημοκρατία i.e. democrátia) muniendam testarum (8) suffragium (graece ὄστρακισμός i.e. ostrakismos) instituerunt. Quo more si qui civium nimis potentes videbantur, ceteri contione facta nomina illorum testis inscribebant, et cuius nomen frequentissimum inscriptum erat, ei urbs per decem annos relinquenda erat.

Aliquando cum testarum suffragium fieret, civis aliquis scribendi et legendi imperitus Aristidi, illi incorrupto et claro gubernatori urbis, testam dedit et rogavit, ut "Aristidem" inscriberet.

Qui miratus e cive quaesivit, num Aristides quid mali ei fecisset. "Nequaquam", respondit cives. "Aristidem ipsum non novi. Sed stomachor, quod ubique 'iustus' nominatur." Tum Aristides silens nomen suum inscriptis et testam reddidit.

* * * * *

Daniel Weissmann

1. tabula picta	Votivtafel
2. servitium	Zwangsarbeit
3. metalla, orum n.	Bergwerk
4. caput inclinare	sich verbeugen
5. falsa spe producere	jdn. vertrösten, hinhalten
6. aerarium sacrum	Tempelschatz
7. furcifer	Galgenstrick, Schuft
8. testa, ae	Scherbe
-arum suffragium	Scherbengericht

BORA BORA (1)

Metrum alcaicum

Tellus profundis gurgitibus maris
prognata vasti, somnia molliens
et temporis vexilla longi
suscipiens viridi quiete,

immota pinnas gavia candidas
gaudes ad aequor pandere lucidum
et tramites aeternitatis
luminibus placidis tueris.

In te serena caeruleum poli
altique campus limina copulant:
sic nuptiarum tu moraris
pronuba vela tenens amoris.

Diluculorum basia colligens,
occasuum ignem tu nemorum comis
amplis lavas quis verba flabra
dulcia leniter insusurrant.

Os universi tu spatii pates,
carpens arenis murmura Manium;
Hebe, iuventatem ministras
perpetuam superis fretorum.

(1) Insula est amoenissima mirabilissimaque in Oceano Pacifico sita

Florindo Di Monaco

De capillorum cura mulierum Romanarum

Terentia domina: Heus puella, propera! Est enim tempus maximum, ut capillos meos disponas. Aliquot amiculi ea nocte domi nostrae cenabunt: Pulcherrimam esse me oportet. Sabina ancilla: Omnium pulcherrima eris, domina. Maxime operam dabo.

Terentia: Iubeo.

Et Sabina iam per villam cursitat munera ancillaria exsequens. Hodie Terentia cincinnos plurimis ordinibus in orbem disponi iubet. Nonnumquam Sabina cincinnos eius in partes discriminat, innectit et in spiram per caput ducit. Ratio comendi saepe mutatur, quod in effigibus nummorum optime apparet. Mulieres Romanae iam diu a consuetudine vetere simplicique capillorum comendorum discesserunt. Mulieres Graecae sane minus audent.

Mulier haec capillorum congeriem in capitis vertice disponit, illa sibi nodum exiguum summa fronte relinquunt. Nunc crines umero utroque iactantur, nunc vertex turritus crinibus struitur.

Tullia, Terentiae filia, adhuc adolescentula cultum capillorum simplicem adhibet. Capillos in nodum collectos acu aut redimiculo ornat.

Vesti varii coloris atque rationibus comendi varii generis pigmenta adaptantur, nam, ut ait Ovidius, "Sanguine quae vero non rubet, arte rubet." Mulieres oculos favilla aut croco signant. Fuligine fucoque utuntur. Creta inducta candorem faciei persaepe petunt. Capillorum color quoque mutatur. Ita canities herbis Germanis inficitur comaque nigra in flammeam mutatur. Capillamenta quoque in usu habentur.

Variatio semper delectat. Itaque effigies marmoreae mulierum nobili genere natarum saepe calvae sunt. Mulieres enim temporum moribus adsentientes capitibus imaginum crines marmoreos induere solent.

Barbara Maier

OPINABILIS AMOR

Ustam si irradiet caeli nova gratia terram
Floris quae verni prodigium repetit,
Te mea, cara, sitis tandem satietur amoris
Ut Phoebus culmen quod nive contegitur.
Et si forte micans aurora e pectore pellat
Taetrum velamen dira venena serens,
Luce tui vultus rapiar ceu gurgite navis
Et tecum vitae gaudia pura legam.
Nescio quare, sed quotiens te, candida, vidi
Sollicito cordi ridet amata quies.



SOLUS EGO AFFLICTUS

Iam tenerae noctis velamina fusca recedunt:
Paulatim Phoebi flamma decora patet.
Festivo resonat volucrum modulamine caelum,
Floribus et vernis undique terra micat.
Oh, quanta evincit mortalia corda voluptas
Luce recenti quae gaudia plena gerit!
At mihi defecto saevo magnoque dolore
Nequaquam prosunt prodiga dona diei.
Alituum dulcis concentus personat aures
Ut dirae gemitus nocte silente strigis.
Phoebus et arva mihi, quamvis fulgore nitescant,
Omnino gemmis illecebrisque carent.
Solus ego afflicto lacrimas effundere nitor
Continue meditando tristia fata mea.

Laurentius Viscido



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

1+2 / 84

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 45